



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Affectus in B. Virginem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

Prouerbijis sacris, aut Sanctorum rebus gestis,  
 aut meditationibus Passionis Christi. Animo  
 inter edendum tam erat suspenso, vt focij, per  
 facetiam, Peregrinum illum appellarent; &  
 certè perexigui semper cibi potusque fuit.  
 Suopte ingenio, & non alio quàm doctore  
 Deo, id aratis puer meditari didicit crucia-  
 tus Seruatoris nostri Christi. Ludentibus so-  
 dalibus, semel in ligneam arcam, dimensam  
 ad longitudinem staturæ suæ, sese inclusit, la-  
 tuitque duabus horis occultus; quæ res cum  
 animum Superiori alijsque aduertisset, id aliàs  
 sapius ab eo factitatum, secretæ commenta-  
 tionis studio, crediderunt. Consueuerant huius  
 contubernij alumni omni vesperâ, appetente  
 nocte, præsentè Superiore orationes aliquot  
 contentâ recitare voce, nec prius cubitum in  
 conclaue concedere, quàm petita apprecatio-  
 ne. Ioannes, vt oraret scilicet diutius, & cete-  
 ros anteuertebat, & sapius, non detractis ve-  
 stibus, super lectulum se coniecisse comper-  
 tus est. Ferebatur hoc tempore præcipuè in  
 beatissimæ Virginis amorem, & quoties cum  
 Superiore suo in Collem-asperum ( qui horæ  
 itinere Diesthemio abest ) ad eam salutan-  
 dam ibat, silentio incedebat meditans, nu-  
 meransve Rosario preces: sæpissimè verò in  
 domus angulos dispersa abditaque ientaculi  
 frustra reperta sunt, quibus ille, in gratiam

*Solo Deo  
 doctore di-  
 scit medi-  
 tari Passio-  
 nem Chri-  
 sti.*

*Studium  
 orationis.*

*Affectus in  
 B. Virgi-  
 nem.*



*Obedientia & diligentia in studendo.* Virginis, genium suum defraudarat. Sic dicto audiens, sic studijs erat addictus, ut vix aut à Superiore aut à Magistro fuerit vel leniter inflectendus, nedum reprehendendus; quæ omnia iuratus affirmat Superior eius

*Testimonia Moderato- ris & Magistri.* P. Petrus Emmericus. Amplius verò, is quo Magistro utebatur, magnas addit ingenij eius ac docilitatis laudes, sed multò maximas morum, Christianarumque virtutum. Habebat, inquit ille, innocentiam puritatemque tam singularem, ut ne nomen quidem nosset eorum vitiorum, ad quæ proclivis ferri hæc ætas solet; nec secus ac pestem, amicitias eorum, qui licentiores erant, abhorrebat, ne qua mentem labecula contaminaret: scholisque egressus, in studia statim se abdebat. Nusquam atque in templo frequentior, nec usquam quàm in foro rarior. Ex quo cultum religionemque in Virginem sanctissimam didicerat, ex eo quoque à Virgine videbatur inuicem in curam patrociniumque susceptus. Cùm primùm versus Latinos pangere cœpisset, permixtus, inquit, à me est, pro libitu argumentum sibi sumere, & ille de IESU nomine poëma facere instituit; quo tantam affectuum teneritatem expressit, ut haud obscurum indicium fecerit, aliquando in IESU Societate se futurum. Archipresbyter Diesthemiensis cùm semel accurate interio-

*Multus in templo, nullus in foro.*

*Quod primum ab eo carmè compositum.*

*Archipresbyteri de Ioanne testimonium.*